



**R. P. Thomæ Tamburini Ë Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

§. 1. Forma ordinaria absolutionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Respondeo remanens absolutum. Sic Suarez de Censuris disputat. 10. sect. 2. §. in quo cessat, Ratio est, quia in illo, absolvo te à peccatis, involvitur absolutio à quocumque vinculo nato ex peccatis, atque à censuris: cum igitur ejusmodi Confessor supponatur velle licite fungi suo munere, supponetur etiam ab eo censuræ vinculo absolvere: multoque magis id erit in illo articulo mortis, si tunc expressè absolvens intendat per illa verba sola, absolvo te à peccatis, absolvere etiam à censuris. Ad majorem autem certitudinem sic absolvat: Absolvo te ab omnibus censuris & peccatis: quia certum est illud, ego te absolvo, sufficere ad absolutionem peccatorum: quod non est ita certum, licet sit probabilissimum, sufficere etiam ad absolutionem censurarum.

## LIBER TERTIVS.

### DE ABSOLUTIONE.

#### CAPVT PRIMVM.

##### De forma absolutionis.

###### §. I. Forma ordinaria absolutionis.



MANUEL SÀ V. Absolutio n. 1. sic rectè habet. Absolutio is verba necessaria sunt Absolvo te: dicendum tamen, n. est in usu Ego te absolvo à peccatis tuis. Quin etiam imitandus sapientium mos, qui ita absolvens post auditam Confessionem, & impenitentiam: Misereatur tui Omnipotens Deus & dimisit peccatis tuis perducit te in vitam æternam: Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo: Primum à sententia excommunicationis, in quantum possum & indiges: Deinde te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beate Maria, & omnium Sanctorum & quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris; sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & exaudiatur vita æterna. Amen: hæc ille.

1. Nonnulli cum Joseph de Augustino in brevi notitia, in fine libri in hunc modum & quiddam ritè proferunt. Et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, & quæ sequuntur. Notant autem, quod si penitens non fuerit Clericus; omittitur illud verbum suspensionis.

2. Quem effectum habeat prædicta forma verborum, colligere facile poteris ex supradictis lib. 2. c. 10. à n. 55.

###### §. II. Forma Absolutionis in necessitate, & brevibus Confessionibus.

4. Vrgente periculo mortis, vel necessitatis, sic Absolves ex Sà loc. cit. Ego te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. vel ex Joseph de August. citato: Ego te absolvo a b omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

5. In brevibus item Confessionibus ut illorum qui sæpè confitentur, immo & in longioribus frequentis populi qui aures Confessoris petit; præstat formam prædictam verba necessaria continentem, proferre dumtaxat. Sic Sà ibid.

#### CAPVT II.

##### Qua ratione Confessor peccatorum meminisse debeat, quando ea absolvit.

6. Poteest frequenter contingere, ut sive propter Confessionem valde longam, sive quia necesse fuit absolutionem per aliquot differre dies, ut quando impendenda sit absolutio, Confessor obliuiscatur peccatorum penitentis. Quæritur ergo quid in hoc casu erit agendum?

7. Communis doctrina habet duo. Primò, quod non oportet ante absolutionem nunc v. g. dandam repetere confessionem alio tempore factam, si idem Confessor (nam si aliter, debere repeti certum est. Quidquid dicant nonnulli quos affert, sed non sequitur Ferrantinus 1. de scand. q. 79. à n. 14.) recordetur vel peccatorum vel status penitentis, vel penitentia imposita: sed sufficit, si uno verbo se penitens accuset de omnibus quæ prius dixerat, addendo alia si forte de novo occurrant addenda. Ita Suarez de pen. disp. 22. sect. 6. in fine Coninch. disp. 7. dub. 11. Ratio est, quia hæc sufficient ad legitimum iudicium ferendum.

8. Immo si Confessor penitentiam jam imposuerat penitenti: nec est necesse quod meminerit peccatorum, ut dictum est, nec ipsius penitentia imposita: cum satis sit ex Suar. ibid. recordari illum fuisse confessum, dignumque iudicatum, qui absolveretur: penitentiam, quæcumque fuerit, jam fuisse datam: nec ipsum aliquod novum commississe peccatum: vel si commiserit, ritè nunc aperuisse: tunc enim poterit, nullo alio requisito, absolutionem tutò conferre. Ratio est, quia statim ille recolendus fuerat ad formandum iudicium, taxandamque penitentiam, quæ tum ritè facta supponitur.

9. Secundò, in prædictis omnibus si contingeret majorem confessionem fuisse factam Confessori non iudici, id est qui non habuisset jurisdictionem, ut si quis per priorem prædictam confessionem aperuisset peccata sua non Sacerdoti, vel Sacerdoti non approbato (accidit autem id sæpe in casibus reservatis, pro quibus inferior Confessor non est legitimus iudex: qui tamen solet audire, & deinde facultatem à superiore recipit, ut absolvere in alia sequenti confessione possit) si inquam id contingeret, debet deinde Confessor constitutus jam legitimus iudex iterum audire peccata penitentis: Sic Delugo disp. 16. de penit. sect. 15 §. 3. quia illa